

consensum, quem scit sine pravitate habere non posse, et postea illam prædeterminat ut eundem consensum eliciat. Quo enim modo potest Deus magis directe esse causa talis actus, et efficacius ad illum movere, quam prædeterminando voluntatem? Hoc ergo modo efficacissima sunt illa verba Sapientis, Ecclesiast. 15: *Non dicas: Ille me implavit, non enim necessarij ei sunt homines impij.* Quomodo ergo hoc non dicit qui affirmat Deum, sola sua vi et actione, determinare me, ut velim id quod turpiter volo? Quod ex proportionem ad opera supernaturalia contra prædictos auctores efficaciter confirmatur ad hominem. Cum enim ex illorum sententia duobus modis præagat in cor nostrum, tangendo illud et prædeterminando, cum tactus cordis magnum pondus habeat, ut ratione illius Deo tribuantur nostræ actiones bonæ, ipsi quasi nihil illud æstimant, respectu prædeterminationis; nam ille prior tactus communis est prædestinatis et reprobis, poenitentibus et impenitentibus, imo et æqualis potest esse in illis; prædeterminatio vero est potentissima et efficacissima, quæ nunquam frustratur suo effectui, et ideo ratione illius aiunt Deum operari ut velimus et facere ut faciamus. Si ergo in operibus malis, etiam pro materialibus actibus (ut ipsi loquuntur), non audent primum illud attribuere Deo, scilicet tactum cordis per inspirationem et excitationem ad malum, ne illum faciant malorum tentatorem, quomodo illi audent attribuere secundum, scilicet, prædeterminationem ad malum opus, aut quomodo evitare possunt quin Deum faciant principalem auctorem talis operis, asserendo eum esse qui facit nos ita velle et facere? Hoc ergo modo possunt infinita alia testimonia Scripturarum adduci et induci, quæ prudens omitto, quia obvia sunt, et quia hoc punctum in superioribus et in aliis opusculis late tractatum est. Quod si hic discursus aliquem detineat, ut jam multos detinuit, ne talem determinationem ad malos actus admittant, necesse est ut ad nullos actus liberos illam necessariam esse concedant, si consequenter loqui velint, ut ostensum est.

Ultima probatio ex Sacra Scriptura. — Tandem (ut caput hoc concludamus) ex utriusque partis testimoniis inter se collatis, existimo facile intelligi posse, divinam Scripturam plurimum favere nostræ sententiæ, nam prioribus testimoniis ita respondetur, ut quiescat intellectus sine ulla vi verborum Scripturæ, aut repugnantia Patrum exponen-

tium illa, imo, juxta communiores illorum sententias. Posteriora autem testimonia argumenta continent, quæ valde premunt, et vix possunt sine magna Scripturæ violentia subterfugi. Et ideo in referendis evasionibus, illisque redarguendis, immoratus non sum, quia omnia quæ excogitata hactenus sunt, omnia reducuntur, vel ad distinctionem de sensu composito et diviso male intellectam et applicatam, vel ad distinctionem de materiali et formali, et similes quæ mentem torquent, et animum non quietant, nec Scripturas explanant, nec juxta mentem Sanctorum sunt. Pius ergo et prudens lector attente, quæso, omnia ponderet et inter se conferat, et ubi veritatis pondus inclinet facile intelliget.

Denique res esset dubia et utrinque æque ambigua, saltem haberemus ex Sacra Scriptura argumentum negativum, quod, scilicet, Scriptura non cogat nos ad credendam illam prædeterminationem intervenire posse in operibus liberi arbitrii, nedum esse ad illa necessariam. Quod si ex Scriptura hoc non habetur, optime juxta capacitatem materiæ infertur, neque ex Conciliis aut Patribus haberi, quia licet in aliis materiis moralibus seu practicis multa dogmata fidei tradantur a Conciliis et Patribus, quæ scripta non sunt in Canonicis libris, sed traditione habentur, tamen dogmata quasi speculativa, et præsertim quæ ad gratiam pertinent in Scriptura debent habere fundamentum, vel colligi aperte ex illis quæ in ea scripta sunt, quia in his non habet locum aliud traditionis genus, nisi quod ad intelligentiam ejusdem Scripturæ pertinet. Et ita, ubicumque Augustinus de dogmatibus divinæ gratiæ disputat, infinita Scripturæ testimonia profert, quod suo modo Concilia Milevitanum, Arausicum et Tridentinum observarunt; ergo cum alias ex illa prædeterminatione gravissimæ difficultates oriantur circa alia dogmata fidei, sine Scriptura non est admittenda; multo ergo minus repugnante Scriptura.

Unde obiter intelligitur quam sine fundamento auctores contrariæ sententiæ, quando illis objicimus intelligi non posse concordiam inter antecedentem ac physicam determinationem voluntatis ad unum, cum indifferentia liberi arbitrii, (sine causa, inquam), præcipere nobis ut credamus et captivemus intellectum in obsequium fidei. Cujus enim fidei? an mere humanæ? Ubi autem hoc præcipit Deus? præsertim cum periculum versatur ne humana fides divinæ repugnet; an vero di-

vinæ? at hæc non traditur in Scriptura vel Ecclesia. Non est ergo cur eorum præcepto obediamus.

CAPUT XXXII.

CONFERUNTUR DECRETA PONTIFICUM ET CONCILIORUM QUÆ UTRAQUE SENTENTIA IN SUUM FAVOREM AFFERT.

Post Scripturæ testimonia, expendere necesse est quam vim habeant Ecclesiæ decreta ad alterutram ex dictis sententiis confirmandam, nam summam habent auctoritatem, et utraque sententia magnum sibi fundamentum in eis invenire conatur. Qui ergo affirmant determinationem ad voluntarium consensum prius fieri a Deo in nobis sine nobis quam voluntas nostra aliquid operetur, præcipue utuntur ad id confirmandum definitionibus Concilii Arausicani. Fuit enim illud Concilium contra Semipelagianos coactum. Unde sicut hi auctores nostræ sententiæ attribunt quod ad Semipelagianismum declinet, ita etiam volunt contra illam canones illius Concilii accommodare. Præcipue vero urgent verba canonis 4: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Spiritus Sancti inspirationem, et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicentem: Præparatur voluntas a Domino; et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* In quo canone imprimis expenditur quod dicitur, Deum non expectare voluntatem nostram; expectaret enim illam, nisi ipse solus eam determinaret.

Verumtamen ad hunc canonem jam supra respondimus, Deum non expectare voluntatem nondum vocatam, ut illam vocet, excitet ac præmoveat, et hanc esse mentem illius canonis, quia contrarium asserebant Semipelagiani, nihilominus tamen verum esse Deum expectare voluntatem jam vocatam, ut se cum cooperatione divinæ gratiæ ad consentiendum determinet; hoc enim non ad Semipelagianorum errorem, sed ad catholicam doctrinam spectat. Et ratio differentiæ est manifesta, quia vocatio nec cadit sub meritum hominis, nec est ei libera, et ideo nihil est quod Deus ab homine expectet ut eum vocet. Determinatio autem ad consensum libera est, et ideo influxus liberi arbitrii in illam necessario

expectandus est, ut talis determinatio in homine fiat.

Sed instabit aliquis, quia hoc jam fuerat definitum ab illo Concilio in præcedenti canone 3, qui sic habet: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaie Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum a non quærentibus me,* etc. Constat ergo per hæc verba definiri Deum non expectare voluntatem humanam in priori sensu, sed invitare illam se nondum quærentem; ergo in sequenti canone aliquid amplius additur, nimirum, Deum non expectare voluntatem humanam, etiam in secundo sensu.

Respondetur non potuisse hoc addi a Concilio, cum repugnet catholicæ veritati, ut supra probatum est, et nullo modo pertineat ad damnationem Semipelagiani erroris. Negatur ergo consequentia. Primo, quia non oportet in singulis canonibus novum dogma definiri, sed satis est quod idem magis ac magis explicetur. Ita enim inferius, can. 5, definitur initium fidei non esse a libero arbitrio, sed a gratia, quamvis hoc virtute contineretur in præcedenti definitione. Et can. 6 subjungitur misericordiam Dei non conferri creditibus, poenitentibus, vel desiderantibus sine gratia, sed potius per misericordiam Dei conferri gratiam, per quam desiderare, petere aut credere valeamus. Quod totum in generali definitione continebatur, sed ibi distinctius explicatur; quod in aliis canonibus notari etiam potest. Nam quia Semipelagiani variis loquendi formulis suum sensum explicabant, ut ex libris Prosperi constat, ideo voluit dictum Concilium illas omnes distincte damnare, et catholicum dogma distinctissime exponere; unde adungere possumus canonem illum quartum aliquid ultra tertium addidisse. Nam in tertio solum dictum fuerat invocationem hominis non præcedere, aut necessariam esse ante gratiam; in quarto vero additur, non modo invocationem, verum ne motum aliquem aut conatum liberi arbitrii expectari, ut gratia opus suum inchoet. Solum ergo excludit expectationem respectu primi auxilii, non vero respectu determinationis liberæ, quæ jam supponit prævium auxilium.

Sed adhuc possunt urgere alia verba ejusdem canonis 4, scilicet, *ut purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nos fieri.* Nam ille actus quo purgari volumus consensus liber est, et tamen dicitur in nobis fieri non solum per Spiritus Sancti in-

spirationem, quæ ad vocationem et moralem inductionem pertinet, sed etiam per Spiritus Sancti operationem, quæ aliquid distinctum est ab inspiratione, quod nihil aliud esse potest quam efficientia physica ipsiusmet determinationis ad consensum, quam solus Spiritus Sanctus in nobis operetur.

Respondetur imprimis non oportere per illas duas voces diversas res significari, sed eandem magis declarari. Intentio enim Concilii in illo canone solum fuit definire gratiam, non solum promovere bonam inchoationem liberi arbitrii, sed etiam præmovere ipsum liberum arbitrium, ut bonum inchoet; declarat autem hanc præmotionem fieri per Spiritus Sancti inspirationem, quam dicit esse operationem ejusdem Spiritus Sancti. Secundo, concedo per illas duas voces res significari diversas. Gratis etiam de per operationem significari efficientiam physicam Spiritus Sancti, circa determinationem voluntatis ad consensum; nego tamen significari physicam prædeterminationem, quæ a solo Spiritu Sancto fiat; quæ est enim ratio hujus significationis, aut unde colligi potest? Cum enim Paulus ait: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*, non docet Deum solum utrumque operari sine nobis, sed principaliter operari nobiscum. Eodem ergo modo intelligendum est Concilium, cujus mens ex testimoniis quæ allegat optime colligitur. Sensus ergo erit Deum præstare ut a peccato purgari velimus per Spiritus Sancti inspirationem, hoc est excitantem gratiam, et per ejusdem Spiritus Sancti operationem, id est, gratiam adjuvantem.

Sed urgent ulterius canonem 6 ejusdem Concilii, in quo damnatur error dicentium gratiam Dei dari humanis conatibus, et volentibus seu desiderantibus illam, definiturque gratiam ipsam facere ut velimus et conemur sicut oportet. Unde etiam damnatur error eorum qui humanæ obedientiæ et humilitati subjungunt gratiæ adjutorium. Contra quam definitionem esse dicunt asserere voluntatem humanam in actibus pietatis liberis seipsam determinare pro sua libertate. Quod esset quidem verum, si talis determinatio a sola naturali libertate esse fingeretur. Tamen hoc a nullo Catholico asseritur, ut sæpe dictum est, sed necessariam imprimis esse præviam Spiritus Sancti inspirationem et motionem, non quidem sola sua vi prædeterminantem voluntatem; hoc enim ejus læderet libertatem; sed excitando et præparando volunta-

tem, ratione cujus non subicitur gratia humanæ obedientiæ, sed per gratiam homo ad obediendum inducitur, et quando obedit, ab eadem gratia juvatur, quamvis determinationem suam ad obediendum ipsa humana voluntas simul cum divina gratia efficiat. Atque eadem est responsio ad reliquos canones illius Concilii, quos sine ulla prorsus ratione in præsentī causa adversarii accumulunt, cum constet omnes illos esse contra Semipelagianos, et in eis doceri necessitatem gratiæ, non solum adjuvantis, sed etiam prævenientis, ratione cujus initium salutis ex Deo est, et non ex nobis, prædeterminationis autem physiciæ, nullam prorsus mentionem fieri.

Estque contra hujusmodi allegationes adnotandum, ex sensu quem supponunt, sequi multa satis contraria tum ipsi gratiæ, tum libertati humanæ. Sequitur enim primo Deum non expectare hominis conversionem, etiam postquam illum ad bonum excitavit, quod esse omnino falsum supra ostensum est, ex illo Isaïæ: *Expectat Dominus ut misereatur vestri*; et illa: *Expectari ut faceret vras, fecit autem labruscas*. Secundo, sequitur per auxilium sufficiens nihil fieri posse quod ad pietatem conferat, neque Deum per tale auxilium facere quidquid ex parte sua necessarium est, tanquam prævium, ut voluntas humana supernaturaliter operari possit; nam omnia, quæ in hoc Concilio dicuntur de necessitate gratiæ, explicantur ab his auctoribus de necessitate prædeterminationis. Dicit autem Concilium sine illa gratia hominem nihil posse; ergo sequitur sine prædeterminatione nihil posse; ergo etiam sequitur per solum auxilium sufficiens nihil posse, et consequenter non esse sufficiens. Tertio, sequitur etiam ad naturalia opera esse necessariam gratiam. Patet, quia juxta hos auctores ad illa etiam est necessaria prædeterminatio, et hæc est gratia de qua loquitur Concilium, et vere erit gratia, quia non est debita libero arbitrio, etiam positus omnibus requisitis ad operandum; sed posset Deus suo arbitrio illud ad aliam partem determinare; ergo quod determinet ad bonum etiam naturale, donum gratiæ est; quod repugnat eidem Concilio, quod in eisdem canonibus supponit posse hominem aliquid boni facere per naturæ vigorem, illud tamen ad veram salutem et pietatem non conferre. Imo etiam sequitur ad malos actus esse necessarium idem genus auxilii efficaciis, atque adeo tales actus esse magis ex voluntate Dei quam

hominis; quia voluntas Dei est quæ sola determinat voluntatem hominis ad tales actus faciendos; quod repugnat eidem Concilio, canone 23, dicenti: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet*; ubi non habet locum distinctio de materiali et formali, cum sermo sit de positivo actu quem homo elicit, quando suam facit voluntatem, vel quando id agit quod Deo displicet.

Unum vero superest declarandum verbum in illo Concilio, quod possent etiam defensores contrariæ sententiæ in suum favorem arripere. Nam in canone 17 sic dicitur: *Fortitudinem Christianam Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Ubi totum tribuit Spiritui Sancto, excludendo etiam expresse liberum arbitrium. Hic vero locus ab omnibus est catholice intelligendus, et ideo non habet difficultatem, nam si sit sermo de charitate habituali, merito infusio ejus soli Spiritui Sancto tribuitur, negaturque libero arbitrio, quia nullam propriam efficientiam habet in illud donum, sed solus Spiritus Sanctus sua virtute principali et totali illud facit. Per hoc autem non excluditur libera dispositio necessaria in adultis ad illud donum recipiendum, ut ex fide constat. Unde, si sit sermo de actuali charitate, sub qua includimus omnem actualem dispositionem humanam ad charitatem recipiendam, sic certum est in omni sententia, ita esse ex infusione Spiritus Sancti, ut non excludatur cooperatio et vera coefficientia liberi arbitrii, ut liberum est, id est, cum vera indifferentia libertatis operantis. Cum ergo Concilium dicit non per voluntatis arbitrium, vel est intelligendum non per solum illud, vel non per illud tanquam per principalem aut primariam causam, quæ possit ad tale opus movere sine prævia infusione Spiritus Sancti. Et hæc revera est propria intentio Concilii, ut constat ex instituto ejus contra Pelagianos et reliquias eorum, et ex aliis canonibus, in quibus tribuitur Spiritui Sancto, ut per suam inspirationem, illuminationem, adjutorium, infundat nobis opera pietatis, nulla facta mentione prædeterminationis, nec nostram liberam determinationem excludendo, sed potius eam supponendo et indicando.

Ad quod ponderari potest canon primus ejusdem Concilii, ubi definit nullum opus, quod ad salutem confert vitæ æternæ, fieri per naturæ vigorem, absque illuminatione et

inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo. Nam hæc verba non possunt ullo modo accommodari ad prædeterminationem physicam, tum quia in illa potius est quædam vis seu necessitas quam suavitas; tum etiam quia inspiratio et illuminatio significant vitales actus prævios, per quos voluntas hominis ad consensum inducitur modo quodam suavi, et homini agenti a proposito accommodato. Et tamen (quod attente pensandum est) ratione hujus inspirationis, illuminationis ac suavis motionis intelligit Concilium, dictum esse a Christo Domino: *Sine me nihil potestis facere*. Et in canone 25 in eodem sensu declarat plura alia testimonia Scripturarum, tribuendo Spiritui Sancto initium et principale adjutorium salutis, nunquam tamen excludendo determinationem liberam nostræ voluntatis.

Per hæc satisfactum est sufficienter ad alia decreta Conciliorum quæ solent isti auctores contra nos proferre, ut est illud Concilii Milevitani, canone 4, quod definit gratiam necessariam non solum ut reveletur intelligentia mandatorum, vel ut sciamus quid agere debeamus, sed etiam ut per eam nobis præstetur ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus et valeamus. Quid enim hoc refert ad physicam prædeterminationem? Nam si propter illam hæc dicuntur, non solum (juxta hos auctores) in operibus gratiæ, sed etiam in operibus naturæ necessarium est ut detur nobis ea efficere per determinationem a solo Deo receptam, sine qua nihil omnino agere valeamus. Imo non solum in bonis naturæ operibus, sed etiam in malis actibus eadem necessitas locum habet, juxta illos auctores. Absurdum ergo est de hac determinatione canonem illum interpretari. Non ergo illud dictum est a Concilio propter necessitatem auxilii prædeterminantis, sed prævenientis et adjuvantis, quæ sunt valde diversa. Est enim decretum illud directe contra Pelagium, qui, præter revelationem, nullam aliam gratiam requirebat, sed tam consensum quam assensum fidei, et reliqua bona opera in solis viribus liberi arbitrii constituebat. Hic ergo error damnatur in illo decreto, et fere in cæteris ejusdem Concilii, per quæ non excluditur libera determinatio voluntatis excitatæ a gratia, et cum illa cooperantis.

Similia sunt verba quæ solent adduci ex Concilio Moguntino, cap. 7, ubi dicitur, *Justificationis initium ex Dei gratia provenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici et*

peccatores sumus, excitati et adjuvi, et eidem gratiæ sic excitanti et adjuvanti consentientes et cooperantes ad justificationem disponimur. Ex quibus verbis potius elicere possent determinationem voluntatis ad consensum non esse effectum solius gratiæ, sed nostræ simul cooperationis; neque dari tertium genus auxilii prædeterminantis voluntatem, præter excitantem gratiam quæ voluntatem allicit et præmovet, non tamen ad unum determinat, et adjuvantem gratiam, quæ ut talis est nihil in nobis facit sine nobis, et sic, licet faciat determinationem, non tamen sine voluntate, neque ante illam, sed simul cum illa, quod attinet ad causalitatem.

Mirandum profecto est quod homines docti et prudentes his testimoniis utantur ad suam sententiam confirmandam. Sed illud majori est admiratione dignum, quod ex Concilio Senonens., in præfatione ejus, hæc afferant verba: *Accedentem ad Deum, oportet primum divinæ gratiæ munere adjutum credere, deinde bonis operibus intendere, in quibus efficiendis liberum arbitrium operatur et gratia, primo tamen et principalius gratia. Quapropter qui hominem bene operari, et salutem consequi arbitrat sine gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est.* Quis enim hoc negat, aut quid hæc doctrina pertinet ad physicam prædeterminationem? Quod si quid valet, potius est ad illam excludendam; quia non totam efficientiam boni operis tribuit gratiæ, sed primatum ejus, suum relinquens locum libero arbitrio, quod in determinatione etiam voluntatis locum habet, nam illa etiam est libera et moraliter bona, alioqui nec consensus ipse liber est, et consequenter nec moraliter bonus.

Libenter ergo ab his auctoribus interrogarem cur hæc verba ex illo Concilio arripiant, et omitant ea quæ idem Concilium habet in decretis fidei, cap. 15, scilicet: *Neque liberum arbitrium asserentes, divinam propterea excludimus gratiam, quod illi falso toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere, sed juxta Sacram Scripturam eo interdiximus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, et interiori quodam et occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, et ad veram illam gratiam se præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam.* Non potuit sane clarius sententiam nostram explicare, nam soli gra-

tiæ operanti solum tribuit interiorem contactum per intimam inspirationem, determinationem vero voluntati suffultæ et adjutæ tali inspiratione; nec ponit mediam motionem præviam inter contactum illum et conversionem, quæ est ipsamet determinatio; quid enim est aliud sese convertere quam sese determinare ad conversionem? Evidentius autem id declarat idem Concilium, subjungens: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, et pulset; cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, et cœpabit cum illo; neque denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Nullum ergo est auxilium prævium sola sua physice efficiente vi determinans voluntatem ad unum, nam illi resisti non potest, cum implicet contradictionem recipere talem determinationem actualem et non operari. Perperam etiam, juxta doctrinam hujus Concilii, tractus ille Dei, et Scripturæ quæ de illo loquuntur, de tali prædeterminatione explicantur, et non potius de tractu cordis per inspirationem internam quæ vi sua nunquam ita movet voluntatem quin hæc possit illi resistere. Non debuissent ergo illi auctores commemorare hoc Concilium quin aliquid huic loco responderent.

Ut autem hoc obiter notemus, subobscura sunt in hoc testimonio illa verba: *Nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium et pulset.* Nam si hæc pulsatio fit per actum aliquem vitalem intellectus et voluntatis, quomodo credibile est nullum esse momentum in quo Deus non pulset ad ostium humani cordis, cum experimento constet non semper vel continue nos recipere has illuminationes et inspirationes internas. Hæc vero difficultas magis urget defendentes oppositam sententiam; nam si tractio cordis omnino necessaria ad consensum posita est in prædeterminatione physica, evidentissimum est homines non tangi vel trahi hoc modo singulis momentis. Imo, juxta dictam sententiam dicendum est Deum non semper esse in promptu, nec de se paratum ad dandum hujusmodi prædeterminationem; nam cæteris existentibus paribus in duobus hominibus, uni eam dat, alteri non dat, pro solo suo arbitrio. In quo evidenter damnatur illa sententia per hoc Concilium in illis verbis: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu.* Si ergo aliqua

gratia est necessaria ad opus, et illa non est in promptu, talis necessitas præjudicat arbitrio, nimirum quia tollit potestatem operandi. Sic ergo evidenter excluditur necessitas prædeterminationis, ne quoad partem destruat libertatem. Quia vero idem argumentum fieri possit de necessitate prævenientis gratiæ, respondit Concilium illam semper esse in promptu. Quod vero addit: *Nullum esse momentum, etc.*, intelligendum est, prout res ipsa præ se fert, Deum quidem semper et omnibus momentis esse ad ostium, non tamen singulis momentis actu pulsare, sed opportune, juxta suæ providentiæ rationem et dispositionem.

Prædictis Conciliis adjungere solent Concilium Coloniense, in Enchiridio fidei, in titulo de Sacramento pœnitentiæ, § *Sed iterum impii, vers. Septimo retinendum est*, ubi late traditur distinctio de duplici gratia operante et cooperante, præveniente et subsequente; et docetur gratiam esse quæ voluntatem convertit et mutat, ac proinde non dari gratiam voluntati, quia ipsa operatur, sed potius ipsam operari, quia Deus sua gratia illam prævenit. Quæ omnia parum ad præsentem causam faciunt; nam hæc ratione gratiæ prævenientis, et præsertim ratione vocationis congruæ verissime et sufficientissime dicuntur absque physica prædeterminatione, ut ex superioribus satis constat. Illud autem videri potest subobscurius, quod ibi duplex distinguitur gratia præveniens: *Una* (dicitur ibi), *qua Deus prævenit peccatorem ut resurgat; altera, qua peccator prævenienti Dei assentiens jam resurgit.* Quæ distinctio non videtur posse habere alium sensum, nisi quod, præter gratiam prævenientem seu excitantem, per quam datur homini ut possit velle, quæ propterea sufficiens dicitur, necessaria est altera gratia præveniens quæ tribuat ipsum actualem consensum, quæ non potest esse nisi gratia physice prædeterminans; nisi enim hoc pacto moveat et inducat voluntatem ad consensum, de se non dabit actum ipsum, sed solam potestatem operandi. Unde ratione illius secundæ prævenientis gratiæ, videntur ibidem jungi hæc verba: *Hanc justificantem gratiam voluntas nostra comitatur, ac veluti pedissequa subsequitur, non quidem tempore, sed causa tantum et natura.* Nam per gratiam justificantem non videtur ibi intelligi habitualis gratia, sed illa motio actualis quæ infallibiliter inducit ultimam dispositionem ad justitiam. Et de hac gratia subdit, quod est causa volitionis,

et non e contra, si quidem est prior natura in operatione.

Ad hoc testimonium non esset nobis necessarium respondere, quia liber ille non solum auctoritatem non habet Concilii provincialis, verum etiam nec Doctoris gravis et indubitata fidei; nam, in Indice Romano, inter libros suspectos et minime probatos ponitur. Quapropter libere possumus rejicere distinctionem illam duplicis gratiæ prævenientis, quia nec in aliis Conciliis fundamentum habet, ut constat, neque etiam in Augustino, ut postea videbimus. Verumtamen, etiamsi illius libri auctoritatem admittere velimus, nihil nobis obstat, quia revera non sumitur ibi illa distinctio in sensu prædicto, sed in alio longe diverso, distinguendo scilicet duplicem gratiam prævenientem, non ex modo determinandi seu movendi voluntatem, sed ex actibus et proximis effectibus ad quos gratia præveniens datur. Una enim datur ad actus qui remote disponunt ad justitiam, alia ad actum qui est ultima dispositio, et prior dicitur dari peccatori ut resurgat, posterior vero cum jam resurgit. Unde utraque ex his gratiis potest esse sufficiens et efficax, neutra vero est physice prædeterminans voluntatem. Nam de priori gratia post ibi dicitur consistere in motu cogitationis sanctæ et affectione aliqua boni, vel timore humano; injungitur, ex illa sæpe oriri bonos actus liberos et supernaturales, disponentes aliquo modo ad justificationem, inter quos actus ponitur actus fidei vel attritionis. Est ergo illa gratia præveniens, non tantum sufficiens, sed etiam efficax ad suum proximum effectum propter quem datur, licet non semper sit efficax ad effectum ultimum justificationis propter quem datur; sicut justificatio ad fidem, seu vocatio qua homo de facto convertitur ab infidelitate, licet non semper sit efficax ad effectum ultimum justificationis, aut non convertatur ad pœnitentiam aliorum peccatorum, vocatio efficax est in suo gradu, licet non sit omni ex parte perfecta nec efficax quoad omnia. Unde in illo effectu invenitur libera determinatio voluntatis, quæ ab ipsa fit cum cooperante gratia, et non a sola præveniente, quod in eodem libro, § *Ergo cum peccator*, insinuat, cum dicitur: *Interim nos ante justificationem nihil facimus, nisi quod bonis inspirationibus Dei non repugnamus, sed assentiamur.*

Alia vero gratia præveniens dicitur dari homini jam resurgenti a peccato, quia datur im-